

VOTIVA ORATIO  
SERENISSIMO  
PRINCIPI IVVENTVTIS  
**FRIDERICO  
WILHELMO,**

MARCHIONI BRANDENBURGICO, ET ELE-  
CTORATVS HEREDI, DVCI BORVSSIAE, MAGDEBVR-  
GI, CLIVIAE, IVLIACI, MONTIVM, STETINI, POMERANIAE, CAS-  
SVBIORVM ET VINIDORVM, ET IN SILESIA CROSNAE, BVRG-  
GRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII, MIN-  
DAE ET CAMINI, COMITI HOHENZOLLERAЕ, MARCAЕ  
ET RAVENSBERG, DYNASTAE IN RAVENSTEIN,  
LAVENBVRG ET BVTAV, ETC.

FRIDERICIANAE ACADEMIAE  
RECTORI MAGNIFICENTISSIMO,  
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,

**IN NATALI XIII**

A. D. XVIII CAL. SEPTEMB. CIC 10CC  
PVBLICO EIVSDEM ACADEMIAE NOMINE  
DEVOTISSIME DEDICATA

**CHRISTIANO ERNESTO**  
de STEVBE,  
EQVITE MANSFELDICO,



ОІГАЯ ОЯТОУ  
СЕРЕНІСІМО  
ПРИНЦІПІ ІАУЕНТАІС  
ФРІДЕРІКО  
ВІЛЬХЕЛМ

MARCHIONI BRANDENBVRGICO ET EL'R  
COTRATVS HERIDI DACI TOLUSSI'R MAGDEBVR  
CICCIUTA E LAVICUMONTUM TIBUR POMERVNLVE CAS  
SABROVAN ET ANTICORVM ET IN ALIAS CROZINAE BVRG  
GRADIMO NORWICER BERNI PRINCIPIS HALBERSTADII MIN  
DAE ET CVMNICO MONTICOLI BVRG MARCE  
ET RAVENSBURG ET BAVARIA, ET ALIO

FRIEDRICHIANAE ACADEMIAE  
BONNENSIS  
DOMINO 1710. СЕРЕНІСІМО  
ІІІ НАТАЛІЯ ХІІІІ

CHRISTIANO FRIEDRICH  
DUCIS VITAE ET DEO DEVOTISSIMA

LAUREO HISTORIACALMIE NOMINE  
FRIEDRICHIANAE DEVOTISSIMA

THIS COPY OWNED BY THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO



## GRATULATIO

IN NATALI DECIMO TERTIO

SERENISSIMI

IVVENTVTIS PRINCIPIS.

**B**ene est, bene conuenit, & recte  
sibi rationes constant, quia quod  
optauimus, habemus, Auditores.  
Superiori mense, vertente  
sæculo, precati omnes sumus, vt res Bran-  
denburgicæ eodem cursu felicitatis, quo ad-  
huc prouectæ sunt, in posterum quoque,  
sine offensa fortunæ, aut humanorum casu-  
um, decurrant; en vix mensis intercessit,  
cum egregium specimen & optatissimum  
exemplum cælestis bonitatis in serenissimo  
IVVENTVTIS PRINCIPE, huius Aca-  
demiae magnificentissimo RECTORE & DO-  
MINO nostro clementissimo, habemus.  
Quod conuincit nos & apertissime demon-  
strat,

A

strat,

strat, esse diuinam prouidentiam, esse supremum Numen, quod vota nostra audiat, & de celsissima G E N T E Brandenburgica, de nobis singulis, & omni humano genere mereri bene neutiquam desistat. Illuxit enim hodie, quod felicissime vertat, natalis decimus tertius serenissimi Principis ac Domini nostri, FRIDERICI VVILHELMI, qui spes est publica, non Brandenburgicarum modo gentium, verum etiam imperii Romani, immo aliarum quoque nationum. Huius, inquam, florentissimi PRINCIPIIS natalis decimus tertius faustis auspiciis, læto omne exortus est, & in tantum certiore in salutis rationem nobis attulit, quanto iucundior ille, superata pueritia, serenissimis PARENTIBVS atque AGNATIS; quanto amabilior prouincialibus omnibus; quanto benignior indole, ad Maiorum exemplum se proferente, & nobis, & suæ huic adolescit Fridericianæ. Quibus plausibus ergo, quibus gratulationibus hunc diem prosequamur, quo spes nobis certior, quam vnquam fuit, adfulget? Aliis quoque annis bene sperabamus: sed ab illis casibus, qui pueritiae pos-

possunt accidere, aut ab metu illorum, non  
erat immunis spes nostra: & si quid certius  
apparebat, id precum & votorum præsidio  
nitezatur, quæ vero de imbecilla ætate non  
possunt esse non imbecilliora. Postquam  
vero ætas dubia incertorem locum est pro-  
vecta, & in suauissimam ingressa est adole-  
scentiam, ac indies maiores fructus virtutis  
insitæ ac bene radicatae ostendit atque exhi-  
bet; quis non omen inde lætum faustum-  
que capiat, diuina benignitate fore, vt, e-  
mensus quæ lubrica erant & incerta, certio-  
rem ille spem nobis magni PRINCIPIIS &  
de republica optime merituri, faciat, confir-  
met, & supra id, quod sperabamus, Maio-  
rum exemplo extollat? Nihil iucundius spe  
bona est: nihil vero lætabilius, quam si id,  
quod speratum est, incipit præstari, & in v-  
sum nostrum, vel quod commendabilius  
est, ad utilitatem publicam proferri. Hæc  
sunt illa ingenii documenta, hæc specimina  
seminum virtutis, in mente conceptorum,  
& nunc in annos singulos maiores præstan-  
tioresque fructus meditantium, quæ maiori  
numero se in singulos annos proferent, &

A 2

non

CNTW

non tam spem nostram amplius, quod ha-  
bemus, quæ sperabamus; quam lætitiam ex  
maiore atque maiore fructu ac voluptate  
conceptam nunc alunt, & augent, & miran-  
dum in modum conseruant. Videlis sic,  
splendidissimi Auditores, quantæ rationes  
nos publicæ circumstent atque vrgeant, vt  
faciamus hodie, quod illustrissima Aula fa-  
cit, quod omnes prouinciæ faciunt, precan-  
tur & exoptant, vt, inquam, idem faciamus,  
& eo quidem religiosius ac maiori cura per-  
ficiamus, quo magis propriæ rationes sunt,  
quæ ad officium, hoc fausto die faciendum,  
nos magis fortiusque, quam ceteros omnes,  
natura sua adigunt atque obstringunt. Na-  
talem alii PRINCIPIS IVVENTVTIS  
celebrant; nos insuper RECTORIS nostri  
MAGNIFICENTISSIMI: alii SPEM PVBLI-  
CAM ita colunt, vt omnibus communis inde  
salus aliquando exsurgat; nos, vt illud quo-  
que nobis vindicamus, æquali iure cum ce-  
teris vtentes, ita singulari exspectatione in-  
gentium bonorum quasi iam triumphamus,  
quia nemo non videt, ab eo Principe, qui a  
primordio huic Academiæ feliciter præfuit,

non

s A

cum

cum illa adoleuit, ac cum commodis eius  
atque incrementis suos annos numerauit,  
Academiae nostrae accessurum esse, quod cu-  
mulum adferat ingentibus illis bonis atque  
muneribus, quæ munificentissimus P A-  
TER & indulgentissimus DOMINVS no-  
ster in illam clementissime adhuc contulit.  
Cum ergo maiora sint, & prorsus singularia,  
quæ ad huius lætissimi diei concelebratio-  
nem nos adhortantur & instigant; vtique  
maiori religione, vt hanc lucem colamus,  
ac inter vota & faustas congratulationes  
transfigamus, necesse est. Quis vero hæc o-  
mnia pro maiestate tam auspicati diei pera-  
get? video non deesse in vobis, qui adsis-  
detis, viri sapientissimi facundissimique, qui  
quod huius diei est, pro dignitate tanti PRIN-  
CIPIS, tantæque fortunæ, possint perficere,  
cum quibus ego neque ingenio, neque do-  
ctrina aut dicendi facultate comparandus  
sum, vt potius ex vestro ordine, copiose de-  
tantis rebus eruditeque differentem, audire  
malim, quam ipse verba parum vel nihil  
exercitatus in tam splendido doctissimorum  
virorum confessu facere. Quod vero, vt id

B

fusci-

PRIN

suscipiam, illorum me voluntas mouet & auctoritas, quorum vel nutum ætatis meæ est obsequio venerari; non refugio, sed subeo, quod dicendi onus impositum est, quamuis id grauius esse persentiam, quam ut forte pro exspectatione vestra perferre possim. Duplex autem me spes sustentat atque subleuat, & serenissimi PRINCIPIS clementia, cui iam gratulaturus sum; & vestra, Auditores, humanissima benevolentia, ex qua veniam mihi paratissimam spero, si rei sublimitatem non adsecutus fuero, aut tenui oratione non æquauero tantarum rerum, quæ dicendæ sunt, magnitudinem.

Quod igitur felix faustumque sit, ad publicam gratulationem me accingo: sed unde incipiam, & in quo desinam argumento, equidem non reperio: adeo, quod vtique miremur, sunt multa & eximia in PRINCIPE adolescente, quæ signum nobis non dubium, sed certissimis rationibus approbatum & exemplis confirmatum illustrissimis, ad bene sperandum proponunt. Nec illud mihi facile, aut plane expeditem est, cui potius hoc die gratulandum sit, serenissimone

PRIN-

PRINCIPI, an patriæ ac recipublicæ, &  
huic ipsi etiam Academiæ, quia spes publica  
huius diei luce renouatur, eademque auge-  
tur, & ad certiores certioresque rationes iam  
adducitur. Quod enim nostra felicitas cum  
PRINCIPIIS salute ita coniuncta, & peni-  
tus ei innexa ac implicata est, non possumus  
PRINCIPI de salute gratulari, quin de no-  
stra etiam simul, quæ inde trahitur, congra-  
tulemur. Quod si ergo spem certiorem ex  
certis signis demonstrauerimus, officio pu-  
tamus pro ingenio nostro ex parte quadam  
satisfactum esse, ut & gratulationes se recte  
habeant, & vota pro futura felicitate rite  
sancteque concipientur. Est autem gratu-  
latio lætitiae communis & voce & gestu ex-  
pressa declaratio, ex pietatis orta affectu,  
quo ad Deum, fontem bonorum omnium,  
referantur de quibus gratulandum lætan-  
dumque est, & ab eodem exspectentur quæ  
in posterum speramus salutis & prosperitatis  
tam publicæ omnium, quam priuatæ singu-  
lorum incrementa. Magnum enim omni-  
no beneficium est, quod cælo imputemus,  
PRINCIPEM IVVENTVTIS tam ve-

B 2

getum

zumiv

getum, tam florentem, tantamque spem in-  
dolis, ex Maiorum ingeniiis haustae, non leui-  
bus signis, sed certis documentis iam eden-  
tem, & per duodecim annos sine offensa va-  
letudinis ad floridam nunc adolescentiam  
cælesti prouidentia traductum conserua-  
tumque habere, ut, quam nunc ex optimi  
**PARENTIS**, clementissimi **DOMINI**  
nostrí salute lætitiam felicitatemque gratu-  
labundi posidemus, eamdem, aut maiorem  
etiam, posteritati nostræ ex **FILII**, Maio-  
rum vestigiis insistentis, & ad summa quæ-  
que progredientis, ingenio promittamus.  
Alit, auget lætitiam spes futurorum, quæ  
quo certior apparet, eo maius etiam lætan-  
di argumentum & gratulandi materiam  
suppeditat. Hic vero omnia fausta & felicia  
signa conspirant, ex quibus ominamur, quæ  
nunc felicitas est temporum sub optimo in-  
dulgentissimoque Principe **PATRE**, eam-  
dem nec posteris nostris sub tanti **PA-  
RENTIS** æmulator FILIO defuturam  
esse. De diuina clementia certi sumus, cui  
tanta munera accepta referamus, nunc vota  
exfoluentes, quæ superiore anno nuncupa-  
vimus.

vimus. Exsoluemus autem, si nos gratos  
memoresque in perpetuum præstamus,  
quia gratiam nullo pacto possumus referre  
Deo, nisi cum memoria, quidquid accepi-  
mus, perpetua retinemus. In hoc enim, id  
est cælesti bonitate atque clementia, spes o-  
mnis nostra innixa est: cetera, si illa immota  
stat, vti stat, faciliora se omnia præbebunt.  
Quis enim est, qui de indole & gentilicia vir-  
tute, cum sanguine propagata, in tot maxi-  
morum PRINCIPVM florentissima  
PROGENIE vel leuiter velit dubitare? quis  
est, qui de institutione, qua nihil curatus dis-  
poni & ordinari, nihil diligentius expediri  
ac perfici potest? At quid signis opus est?  
quid causis & rationibus, vbi res ipsa in a-  
perto est, vbi specimina conuincunt, vbi tot  
egregia testantur & confirmant documenta?  
Ea nunc ætate est PRINCEPS serenissi-  
mus, vt non iam solum de eo bene sperare,  
sed etiam confidere ciues possint sui, quia  
progressu in optimis litteris, & exercitio-  
rum Principe dignorum vsu ac consuetu-  
dine, se talem futurum spondet ac promit-  
tit, qualem sperauimus adhuc & votis no-

C

stris

stris effingi præformarique voluimus : sed  
quia est indole excitatisima, præuenit spem  
nostram, anteuerit ætatem, & maiora nunc  
documenta futuræ dat magnitudinis, quam  
quisquam cogitare, ne dicam sperare de tan-  
tula ætate potuisset. Scilicet ita compara-  
tum est, vt, qui de plebe sunt hominum, su-  
os annos numerent, & ætatis legem obser-  
vent, quam transgredi contra naturam esse  
existimant. At quos Deus rectores popu-  
lorum destinauit, iis plerumque cælestè in-  
genium indidit, quod ætatem antecedit, vt,  
antequam anni finant, non præfigia modo,  
sed specimina edant & documenta profe-  
rant, quibus utique magnum aliquid & pror-  
sus eximum non significatur modo, sed tan-  
quam instans, immo præfens, ante oculos o-  
mnium proponitur. Nazarius, vetus pa-  
negyrista, gratulatus est temporibus suis,  
quibus nihil fortunatius esset, cum Impera-  
tor Constantinus duos filios CAESARES cre-  
asset, quorum ætas integra longam spem in-  
feram posteritatem vsque prorogaret : nec  
vero beneficio illo pristinum, quod ex mi-  
tissimo PATRIS imperio haberent Romani,

mi-

minueretur, sed eodem, vt antea, lætabundi vterentur, spe tantummodo noua, ea-que illibata accedente, qua patris priora be-neficia, etiam quæ continuabat, gratiiora iucundioraque efficiebantur. Cum circum-iectæ regiones, Auditores splendidissimi, nescio quid mali ex nondum sedato motu Cimbrico pertimescunt, nos omnes Bran-denburgicæ ditionis ipsis bonis temporum & reipublicæ vtilitatibus, quibus adhuc vti licuit, admonemur, quam exemplo Romanorum nobis gratulari conueniat, qui CAESARVM indole, si se exsereret lætius, non mediocriter gaudebant, ominati ex his au-spiciis, quantos olim vel ipsi vel posteri ha-bituri sint AVGVSTOS IMPERATORES, cum CAE-SARES adhuc adolescentes tantam spem bo-nitatis ex indole sua atque ingenio ostenta-rent. Admonemur, inquam, horum exem-plo ad indulgendum lætitiae, quod manente vigore serenissimi ELECTORIS BRAN-DENBURGICI, & stante felicitate imperii ILLIVS, nihilominus habemus cælesti beni-gnitate IVVENTVTIS PRINCIPEM, in quo spes nostræ, pro futuris temporibus

C<sub>2</sub>

conce-

conceptæ, consistant, & longius se longius-  
que, procedente ætate, proferant. Hic enim  
cum adoleuerit, quanto adiumento erit &  
suo & patriæ PARENTI? quam prospere  
omnia domi agentur? quam pacata foris  
erunt omnia, tam mirificæ indolis PRIN-  
CIPE a sapientissimo PATRE rebus fe-  
liciter gerendis auspiciatissime adducto? Vi-  
deor iam mihi præuidere ipsum PRINCI-  
PEM in castris exultantem ouantemque,  
quem PATRIVS vigor, quem viuidus impe-  
tus, quem AVITA gloria & exemplum, cuius  
nomen fert, nunc in reluctantes hostes rapi-  
at, nunc idem ciues tueatur atque defendat,  
& debellatis hostibus triumphabundus in pa-  
triam, lætante & gratulante PATRE opti-  
mo, reuertatur. O quam fortunata tum e-  
rit patria nostra, quam PATRIS sapientia  
pacate ac tranquille reget! fortitudo FILII  
defendet atque proteget, vt sic domi foris-  
que omnia recte ac ordine sese habeant! Fe-  
lices beatique Principes, quos priuatorum  
obsequia colunt, quos omnes imperio sub-  
iecti amant, honestant, in deliciis habent,  
quorum vitam & salutem omnes ciues ma-  
ioris

couee

C 5

ioris faciunt, quam suam, & longe illi præferunt. At talis est serenissima DOMVS Brandenburgica, in qua indulgentissimi PATRIS salus omnibus cara, & PATRI AVOQUE simillimi flos FILII amabilis omnibus, ut pro vtroque vota concipient, adfigant, solvant, quo salus & incolumitas vtriusque divinitus prorogetur, & ex illa in omnes provincias pax & salus publica proficiscatur. Studia etiam nostra, quibus hic loci sub suavissima umbra Brandenburgica operam damus, etiam nos admonent, immo nobis adferunt, vnde spes nostra, quam de tanto PRINCIPE habemus, non sustineatur modo, verum etiam in maius meliusque provehatur idemtide. Quod enim serenissimus PRINCEPS nunc magis magisque per ætatem iisdem studiis alacriter admovetur, & quotidie in historiis præstantissima virtutis exempla videt, quæ imitetur, saluberrima præcepta atque monita audit, quibus obsequatur; quantos putatis stimulos, Auditores, generosum illius pectus persentire? quam lætabitur & exsultabit gloriofissimi AVI res gestas legens præclarissimas,

D

cum

197

cum illustrissimis quibusque rebus ac victoriis Romanorum veterum comparandas? videlicet non potest aliter esse, quam ut hunc intuentem suorum exempla & Pater Aeneas, & Auus Hector excitet atque inflammet, vt presse sequatur vestigia laudissimorum PRINCIPVM, & aliquid tentet ac suscipiat, quo orbi terrarum probet & ostendat, ex quorum sanguine, & ad quam magnitudinem natus propitio cælo sit. Hæc sunt illius præclara studia, in his adolescencia eius exercetur, quibus fit, vt ad præstantissimam quamque virtutem, & PRINCIPE atque HEROE dignam, feliciter adducatur: & iam egregiis speciminibus, quantum ætas patitur, ostentet, quos fructus paucis annis ab ingenio ipsius ac indole exspectare omnes debeamus. Gratulare ergo, florentissime PRINCEPS IVVENTVTIS, gratulare, inquam, naturæ ac moribus tuis, quod TE talem serenissimus PATER FRIDERICVS Elector genuerit, & quam fauente Deo faustisque sideribus accepisti AVITAM indolem, suis curis, suisque præceptis, & illorum dexteritate atque industria, quos ille iuven-

ventuti tuæ RECTORES dedit, ita magis ma-  
gisque instituit, ornauit, excoluit, vt nunc in  
recta via stes, qua summis virtutibus ad ma-  
ximam immortalemque itur gloriam. Ni-  
hil felicius enim adolescentiæ potest con-  
tingere, quam bene nasci, beneque educari,  
quia ex vtroque hoc fonte emanat quid-  
quid humanæ est felicitatis, magnitudinis, &  
gloriæ perennantis. Id quoniam TIBI, si  
cui alii, & felicissime & copiosissime conti-  
git, vtique parata TIBI omnia sunt, quæ ad  
gloriam fastigio tuo parem adducunt, vt sic  
via, quam ingressuses, remotis omnibus quæ  
impedire possint, quasi in planissimo æquis-  
simoque solo progrediari. Eximum decus  
& summa spes felicitatis apud Romanos  
principes erat, in purpura natum esse, hoc  
est patre imperium tenente; quasi illos, quo-  
rum hæc erat fortuna atque gloria, non for-  
tuita hominum consensio, sed cæli & naturæ  
fauor ad tantam sublimitatem, hoc est ad  
principatum obtainendum euexerit. Tu ve-  
ro, PRINCEPS serenissime, neque Tusfo-  
lus, sed longa serie omnes etiam MAIORES  
tui, quorum memoriam deuote colimus, in

D 2

pur-

purpura nati estis, & cum spe Electoralis fastigii, quod per natales debeatur: TV quidem maxime, præ ceteris TVORVM, quia natus es eo tempore, quo felicissimus status erat rerum Brandenburgicarum, & eo usque virtute ac victoriis magnanimi AVI tui euectus, vt altius adduci atque prouehi non posse videatur. Hos enim, qui ita nascuntur, natura ipsa docet bene mereri: splendidi natales & MAIORVM exempla admonent, vt virtutis via ad gloriam non lento gradu, sed cursu concitato progrediantur, nec quiescere indoles illos generosa sinit, nisi perfecta re & ad prosperitatis fortunæque apicem perducta. Hæc in TE sunt, PRINCEPS serenissime, naturæ incitamenta, hæc hortamenta indolis atque ingenii ad summa quæque instituti ac præformati: sed hæc non sola sunt, quæ TE impellant, vt ad summum fastigium virtutis & fortunæ conscen das, sed etiam extra TE sunt, quæ idem suadeant, idem moneant, & idem tidem a TE contendant. Extra TE sunt, sed non omnia extra GENTEM TVAM ac gloriosam FAMILIAM. Habes viuum exemplar in serenissimo PA-

PATRE Principis optimi, ad quod TE conformes atque componas. Habes, vt de ceteris taceam, gloriosissimi AVI FRIDERICI VVILHELMI, statuas atque imaginem, quam quoties intueris, non est quod aliter cogites, ac si ipsa quoque TE respiciat, & obtutu TE immobili, fixisque oculis intueatur, & tacite TE laudet, TVIS progressibus in virtutis cursu lætetur, TE adhortetur, quo coepisti virtutis & gloriae cursu, vt pergas, vt imiteris, æmuleris, quem illa repræsentat, quo illius ad gloriam TV iuuenis peruenias: senex aliquando illum vincas & supergrediaris. Amborum gloriae satis magnum est, TE tam magnum, tam fortunatum ducem habere: ILLVM post fata tam promptum ad æmulationem in Gente sua ex FILIO sectatorem accepisse, quia eum TE geris, vt si ipse reuiuiscat, non possit imitatione TVA cœptisque TVIS progressibus non summopere lætari, & indolem TVAM miratus vehementer exultare. Quod vero fingimus de AVO, illo maximo Principe, in re non ficta, sed imitatrice virtute TVA ac ingenio, sere-nissime IVVENTVTIS PRINCEPS,

E expres-

-SM

expressa: quamquam nec de glorioſiſimi  
AVI ſenſu, ſicuræ ſunt ſuperis reſ humanae,  
quas reliquerunt, dubitamus; idem ſine vila  
fictione ſentimus atque videmus in ſereniſi-  
mo rūm PAREN TVM vultu laetifimo,  
gratulantium ſibi, & mirifice gaudentium,  
quod tam probum, tam bene moratum, &  
ad ſummas virtutes tam alacri animo ac vi-  
gore contendentem FILIV M habeant,  
quorum adſpectus TE, ſereniſime PRIN-  
CEPS, magis incitare & ad maiora in dies  
adgredienda, quamquam ſponte currentem,  
exſtimulare potest acerrime. Non vides in  
hiſ imaginem, ſed viuidam & bene meren-  
tem naturam, quæ quo eſt efficacior, quam  
imago muta; eo magis etiam TE mouet, TE  
excitat atque instigat, vt non poſſis, quam  
diu illos intueris, (vtinam diutiſime intuca-  
ris) quin idem ſentias quod illi, idem fuſcipe-  
re, tentare, perficere conatus, naturæ impe-  
tu, illorum ductu, omnium qui circa TE ſunt  
admonitu, non ſolum incipias, ſed agas et-  
iam, & quantum per ætatem licet, præclare  
conficias atque consummes. Maſte ergo  
ingenio tvo, quod non potest fingi melius:  
ma-

-2019x9

E

macete virtute, quam æmulari maiorem non  
potes, quam in exemplis illustribus TVORVM:  
macete recto sensu de litterarum disciplinis,  
quas ipse tractas, in aliis amas, & illarum cul-  
toribus faues, quia intelligis, quantum illæ  
ad virtutem adferant, quantum ad felicem ac  
tranquillum statum reipublicæ. <sup>su</sup> Sentit id  
nostra Academia, & grato animo sentit, quod  
non pertæsus illius vota atque desideria,  
postquam sex annos præfuisti, septimo et-  
iam anno subire eamdem nuncupationis  
molestiam non es dignatus. O mirificam  
clementiam IVVENTVTIS PRINCIPIS!  
o spem maximam, quam ille bonis litteris,  
quam omnibus eruditis, quam præcipue  
huic suæ Fridericianæ Academiæ facit! tan-  
tumne facit? immo vero quotannis auget,  
amplificat & singulari robore, hoc est amo-  
re litterarum in dies ardentiore & magis se  
proferente confirmat. Quid vero aliud fau-  
stissimo hoc natali die faciamus, quam mi-  
rari PRINCIPE M, quem hoc die saluum  
& incolumem per duodecim annos tradu-  
ctum læti nobis, grati Deo, cuius illud bene-  
ficium est, videmus? mirari quoque excel-  
bit

lens ingenium eius & heroicam in dolem ex  
HEROVM sanguine deriuatam, qua supra  
ætatem in optimis studiis & laudatisimis ex-  
ercitationibus profecit ita, vt magni Princi-  
pis & fortis Herois defensorisque patriæ  
spem omnibus faciat: quid denique aliud fa-  
ciamus quam admirari IPSIVS erga bonas  
litteras fauorem, & in hanc, quam ipse regit,  
Academiam, in usitatum amorem ac beni-  
gnitatem, quod septimo iam anno perspe-  
ctum exploratumque habemus, quo in nos  
ipse animo, qua singulariclementias sit hodie-  
que erga omnes, qui litteras colunt, & futu-  
rus sit in posterum, ea videlicet voluntate,  
eo amore, quem ex serenissimi PATRIS  
exemplo & per naturam habet, & per con-  
suetudinem haurit atque discit. Scilicet id  
mens generosa perficit cum faustis pene-  
tralibus enutrita est, cum nihil videt, nisi re-  
ctum & honestum; nihil audit, nisi profu-  
turum; nihil discit, quod nescisse rectius fu-  
rit: cum is qui regit & gubernat, virtuti &  
probitati est simillimus. Optime agitur cum  
iuentutis Principibus, si adolescentia illo-  
rum inter litterarum studia & Martis exerci-  
tia

tia transigitur, quia illis mitescit animus & benignior efficitur, prudentia mirum quantum augetur, cura salutis publicæ magis magisque excitatur: his fortior fit animus ad patriam tuendam, ad pacem armis defendendam, & si peiora fata ingruerint, ad liberandam e periculis. Prisci mortales, non inepti sane, sed cordati homines, finxerunt HERCULEM quemdam MVSARVM, & vno delubro & Herculii & Musis quoque, pro temporum superstitione, sacra faciebant, ut coniunctio nem, quæ inter principatum & litterarum studia esse & contineri debeat, omnibus significarent, quod neque Hercules Musarum æterno officio, neque hæ Herculis sui tutela defensione neque possint carere. Nihil fictum, nihil superstiosum nostrum sit: quod bonum & salubre inuolutum in figmento est, id vero nostrum sit tamquam huius diei dignissimum argumentum. Iacent in tenebris fortissimorum Principum res gestæ & præclarissime facta, si vel unius hominis ætas ab illorum tempore præterierit; nisi voce Musarum prædicentur, litteris ac monumentis eruditorum hominum posteritati commen-

F

den-

dentur: contra debilior est opera Musarum  
litteratorumque omnium, nisi Principum  
fauore recreentur, præmiis ornentur, hono-  
ribus excitentur. Quorum opera si bene con-  
iungitur, & Princeps doctos amat, docti Prin-  
cipem laudant, & merita eius suis, quæ ha-  
bent, ornamentis condecorant; tum vero in  
cælum Princeps tollitur, & æternitati, Mu-  
sarum officio, consecratur, vt nulla ætas vn-  
quam de laudibus illius conticescat. Hæc si  
vsquam terrarum bene mixta & composita  
inueniuntur, in terris sunt Brandenburgicis,  
vbi tot domicilia Musarum sunt constituta,  
quæ liberalitate summi PRINCIPIIS ac E-  
LECTORIS benignissime fountur & con-  
seruantur: vnde etiam gloria Brandenburgi-  
cæ GENTIS, qua cælum patet, celebratur, &  
in omnibus posteris celebrabitur, quia inge-  
nia, quibus illa fauet, non silebunt, sed a quo  
præsidium & tranquillitatem habent, in per-  
petuum prædicabunt. Ut ergo status hic lit-  
terarum, cum perpetuate gloriæ coniun-  
ctus, in posteros propagetur, PRINCEPS  
IVVENTVTIS ita bonis artibus institu-  
itur, ita paratur etiam ad bellum & reipubli-  
cæ de-

cæ defensionem, vt omnino spes maxima sit,  
in maius meliusque vtramque rempubli-  
cam, ciuilem & litterariem, prouectum iri, &  
gloriam quoque Brandenburgicæ DOMVS  
per HVNC fore illustriorem. Habetis sic, ra-  
tiones atque cauſſas, Auditores, cur hic nata-  
lis dies serenissimi PRINCIPIS maiore re-  
ligione concelebrandus sit, quia ad maiorem  
nos lætitiam, maioremque spem felicitatis  
excitat, vt ingratissimi simus mortalium,  
ſi tanta bona, quæ Deo fauente possidemus,  
non ita, vt dignum eſt, deuota æſtimatione  
perpendamus, cum vtique non ſint vulgaria,  
aut cuiuis genti obuia, quæ nobis Brāiden-  
burgicis diuina benignitate obtigerunt. Agi-  
te ergo, æſtimate hæc cæli munera, laudate  
auctorem illorum immortalem Deum, vo-  
ta superiori anno concepta persolute, noua  
nuncupate in futurum annum, vt propitio  
numine perficiat Deus, quo æquabili fortu-  
næ cursu ac valetudinis, maiorique profectu  
virtutis & sapientiæ, qui instat annus, & qui  
ſequentur plurimi, ſereniſimo IVVENTI  
TUTIS PRINCIPI felices & fortunati o-  
rientur, ſalutem & incolumentem non fer-  
mibim

vent modo, sed auctiorem etiam in dies red-  
dant, vt spes nostra per annos inualeſcat, &  
proprioſes cauſas agendi gratias nanciſcatur,  
& Academia hæc magis magisque cum ſuo  
PRINCIPE atque RECTORĒ efflorefſcat, &  
gloriæ, quam a ſuo PRINCIPE habet, & HIC  
ab illa perpetuam habebit, incrementum &  
nouam quotannis accessionem videat, toti-  
esque ſuis auctib⁹ uelēmentius lætetur. His  
peractis quid ſupereſt, quam vt ſereniſſimo  
ELECTORI, DOMINO noſtro clemen-  
tiſſimo gratulem⁹, quem eo nomine etiam  
mirum in modum felicem prædicamus,  
quod FILIV M genuerit ſVI AVIQUE ſimi-  
llum, ideſt ad virtutem & gloriam magnis  
gradibus contendentem. In liberis tollendis  
nihil beneficio tollentium licet: tota res voti  
eſt; at in educandis omnino licet plurimum:  
& ſi alterum faurix natura aut Numen beni-  
gnum liberaliter dedit, alterum parentum  
cura addidit, vtique eximium & præſtantiiſſi-  
mum eſt, quod inde ad fertur ad communem  
patriæ ac reipublicæ utilitatem. Bene eſt, Au-  
ditores, vtraque ratio bene conſtat, & ado-  
leſcens FILIVS naturam in dolemque opti-  
mam

mam nactuseo vsque euasit per ætatem & præ-  
clarissimarum rerum studia ac disciplinam, vt  
iam non speres, serenissime ELECTOR, o-  
ptime moratum, elegantissimeque institutum  
FILIVM, sed habeas talem, quem votis præ-  
optauimus, & habiturus sis maiorem virtute  
atque gloria, cum maturiores anni ad ætatem  
illius accesserint. Lætare ergo cum serenissi-  
ma CONIVGE, Domina nostra clementis-  
ma, hac vestra vtriusque PROLE, diuino mu-  
nere, vestro delicio & omnium, qui fide vobis  
& obsequio sunt obstricti: eiusque nomine  
TVAE Fridericianæ, cui hoc pignus amoris Tui,  
FILIVM, RECTOREM tot annis dedisti,  
perge clementissime fauere, illiusque com-  
moda augere, vt ex illa TVA crescat gloria, &  
augeatur in perpetuum. Tibi vero, serenissi-  
me PRINCEPS IVVENTVTIS, RECTOR  
huius Academiæ MAGNIFICENTISSIME, DO-  
MINE noster clementissime, TIBI, inquam, O-  
mnes gratulamur, TIBI applaudimus, TIBI  
lætamur, quod superato duodecimo ætatisan-  
no natalem videas tertium & decimum, veræ  
adolescentiæ, exacta pueritia, natalem, qui  
quod serenus, quod latus adfulget & ortus est,  
lætum omen prosperitatis adfert per omnem,

G

quam

quam ingressus es, iuuentutem sic feliciter  
perpetuantis, ut felix hoc die auspicium eius  
temporis ac ætatis factum est. Lætare bonis  
tv̄s, PRINCEPS optime, lætare in dōle MA-  
IORVM TVORVM virtutis & gloriæ æmulatri-  
ce: lætare ingenio tvo ad omnes præclaras ar-  
tes instituto atque exculto: lætare profecti-  
bus, eximiis sane & ætatem supergressis: læta-  
re fortuna TVA, ad quam genitus es, felicitate  
TVA, in qua educatus es, lætare amore omni-  
um TVORVM, qui TE colunt, TE mirantur, TV-  
AMQUE salutem cariorem sua habent, pro ea  
vota concipiunt, & figunt, circumacto anno  
cum plausu ac gratulatione refigenda. TE  
seruet Deus, PRINCEPS florentissime, TV-  
AM salutem, TVAM in columbia, TVAMQUE  
fortunam supereminentem idem conseruet:  
augeat annos TVOS, augeat profectus virtutis,  
vt ipem, quem TVI concitasti pridem, non su-  
stineas modo & præclare tuearis, verum etiam  
aliquando superes, & GENERIS TVI gloriam  
in immensum augeas, vt iisdem illa, quibus cæ-  
lum, limitibus contineatur. Viue PRINCEPS,  
& flore, & incrementa virtutis per annos cape,  
& quo amore hanc Academiam TVAM com-  
plexus es, perpetuo, quæsumus, comple-  
m̄sup  
ctere ac tuere.

H. Duxius 87, 2